

05
A
1404





EXERCITATIO ACADEMICA
POSTERIOR,

De

Causis laboranti

Naturæ obstetricantibus :

Virtute sc. Cæli & Ignis sub-
terranei;

Quam

Divina favente Gratiâ,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI

M. ADAMI PURPII, Marchic.

Med. Stud.

Publicæ eruditorum disquisitioni

In Illustri Leucorea


sistet

Defensurus

JOHNNES CHRITOPHORUS Adlung/
Erfurtinus.

Die 20. Martii, horis matutinis,

In Auditorio Veteri.



WITTEBERGÆ,

Literis Michaelis Wendt.

Anno 1669.

EXERCITATIO ACADEMICA
JOSUE ERIO

De

Causis laborantibus

Natura oblectamentibus
Natura & causa laborantibus

Divina in causa

VI RI

CLASSICAL

M. ABRAHAM PIERRE MARCHE

Publ. in ...

JOHANNES CHR. GILIORIS

Rhinus

De ...

In ...

...

...

...

anno 1663





SECTIO II.

ARTICULUS I.

Exhibens determinatum
Causarum dictarum Influxum, in Re-
gnum Minerale, & Meteororum.

ARTIC. UNUS.

§. I.

Sic haecenus explicatâ Causarum
dictarum cooperatione in genere, re-
stat ut patefaciamus, quo modo mundus cœ-
lestis & in subterraneo Ignis subterraneus,
magneticis quasi legibus ad particulares na-
turæ fœtus cum excludendos, tum fovendos, coeant. Quis-
quis igitur es, introspecte mecum laborantis naturæ industri-
am, & omnia divino peragi distillationis artificio, ultro fateberis.

§. 2. Quis in Microcosmo absolutissimū hoc distillatio-
nis negat? In hoc enim quot Membra vitalia, tot vasa Chymica
vides. Stomachus, quid aliud nisi Chymicam quandam ex-
primit cucurbitam? in quâ receptum alimentum, vi caloris
nativi & insiti fermenti, attenuatum atq; digestum, (uti volunt
Dn. D. Moebius Fund. Med. cap. de usu ventric. & Helmont. part.
2. de sext. digest.) statim appropriatum sibi petit alembicum,

C 2

atq;

atq; pro varia qualitate, varias etiam molitur resolutiones, de quibus vide exquisitissimum opus de analogia hominis & Mundi Fort. LICETI, ut & Microcos. Fr. Tidicai. En, quam feliciter in Microcosmo sagax Physicorum acumen animadvertit principalia membra, Cerebrum, Cor, Hepar, Pulmones, Stomachum, Renes, atq; Lienem, veluti officinas quasdam, in quibus humores diversimodè digesti, per innumeros canalium ductus circulantur, quo membra & multiplices musculorum cartilaginumque fibræ, reciproca humorum digestorum communicatione, auxilio sibi esse queant. vid. Job. Riol. in Restaur. M. Phys. & Medic. Kircher. in Mund. Subt. & Anton. DeWsing. in exercit. Anat.

§. 3. Non minori cura eundem, in producendis Macrocosmi operationibus, natura processum observat. Paulisper saltem investigatione sedula in profundam descendamus terræ abyssum, quo mundi hujus, ceu magni cujusdam corporis Anatomiam eo feliciter exercere liceat. *Quot non spectanda hic nobis exhibentur receptacula, crateres, alembica vasa, atq; siphones?* Firmiter concludere, omnes hos canales tanquam venas & arterias quasdam naturam constituisse, in quibus per reciprocum meatus aqueus circuletur humor: qui cum sine calore conservari non possit, annexa sibi habet dicta ignis promptuaria, quibus, veluti calore vitali, aquarum fœtura quadantenus animetur. Quia verò nec ignium Vulcaniæ officinæ sine aëre consistere poterant, sapiens naturæ opifex ineffabili providentiæ suæ dispositione, alia in utrorumq; fomentum, instar pulmonum, aërea disposuit receptacula, quæ occulto meatum commercio, ignem, ne extingvatur, aquam verò ne putrescat & conglaciatur, ad perennis motus continuationem conservarent. *Vid. Vir eruditiss. P. Mart. Martinii. in atlante Sinico.*

§. 4. Sed frustranea foret hujusmodi elementarium receptaculorum distributio, nisi esset in quod ageret. Hinc Geocosmus omnigena seminalium rationum miscella imbutus à DEO T. O. M. constitutus est, qui tanquam naturæ Stomachus, panspermaticum etiam, naturæ alimentum, etiam

aquam, (ita enim vocat. *Thales Milesius ap. Bac. de Verul. it. au-
tor tr. de sulph.*) reciperet. Atque universum hunc Geocos-
mum, non tantum juxta naturalis Chymiae præcepta (ut ita
loquar) fermentando, coquendo, & digerendo, exercet Cali
virtus, uti docet acutissimus *Galileus Galiei de syst. Mund.* Sed
in primis etiam, quantum ad interiorem naturæ actionem
*Ignis subterraneus vivo quodam inspirat fermento, & per diversis-
simâ valorum Chymicorum ergasteria admirando sublimat
modo, vid. Vol. Prim. theat. Chym. Argent. de Geneal. Metall.*
Hinc fit, ut in intimâ etiam tertæ structurâ vapor ope Ignis
subterranei ex aqueo & terreno elevatus elemento, si per varia
terræ spiracula, veluti Syphones quosdam diffusus, in varia
loca rimasq; penetraverit, pro naturâ locorum atq; terrestri-
um glebarum, nunc in metallum, modo in quandam mine-
ralem substantiam, jam in preciosi lapidis formam, laborio-
sa quidem, at nobilissimâ coagulatione transmutetur, (vid.
Chym. Scept. Rob Boyle. part. 6.) atq; pro appropriatâ locorum
naturâ omnis generis salia, gummi, succos minerales, &
quicquid tandem floris aut humidi naturam olet, producit,
uti loquitur *Joh. Jonst. in not. reg. Miner.*

§. 5. Atque hoc modo non tantum in diversas cogit fa-
cies subterrestrem hanc substantiam, dum à cæli benigno in-
fluxu adjutus, eandem ad productionem *Bituminis, Nitri, Sul-
phuris, Antimonii, Marcasite, Ochre, Arsenici, & si quid aliud
minerale magni momenti corpus, reliquum est, sollicitat,
(vid. *Libavius part. 1. & 3. singul. passim Agricola lib. 2. de metal-
lis*) sed etiam per exhalationes istiusmodi, spiritibus metal-
licis infectas uti *Cesalpinus ait lib. 1. de metall.* aquas inficit è
subterraneis effluentes, modò innoxii, modò noxiis qualita-
tibus: innoxii sciant thermæ & sudatoria, quæ ad multos
usurpantur sanandos morbos, ut in pluribus contingit Cam-
paniæ locis, præsertim in Monte, quem Tritulum vocant,
ad cujus aquas thermales accedunt, qui pituitosam patiuntur
distillationem, item Chiragrici & Podagrici, Arthritici &
Hydropici, à quibus morbis per sudores liberantur. vid. *Li-
bay. part. 4. sing. de ferinis Tuber. Noxiis autem replentur,**

mub

C 3

quæ

quæ ex Sulphure, Auripigmento, Argento vivo & similibus hisce
Metallis, virtute causarum nostrarum sublimatis, calcinatis, &
mistis prodeunt. Quicunq; enim fumum hujusmodi hauri-
unt, in suffocationem incidunt, aut anhelationem atq; phti-
sin. In Volaterrano ex lacu ferventissimo exspirat aer su-
pervolantibus avibus mortiferus test. Kirchero in *Mund. sub-
terr.* Alibi exhalationes efflant uni tantum generi noxias,
ut in *Ithaca leporibus, in Creta noctuis, in Sigaco canibus, in Galata
& Clupea Scorpionibus, in Ebuso serpentibus, ideo vel longe odorẽ-
sentientes fugiunt. Vid. Cardanus lib. 2. de subtil. Paul. Zachias
lib. 3. quest. Medic. Cardan. l. 1. de sanit. tuendâ.*

§. 6. Atq; hujusmodi varias fontium scaturigines, ha-
lituum calidorum, thermarum & acidularum; quæ vitrioli,
nitri, modo ferri etiam, aut cupri indolem referunt, erupti-
ones, tumultuum item subterraneorum phænomena, (*de qui-
bus vid. Cartesius part. 4. princ. & Fromond. lib. 4. Meteorol.*) in-
tra telluris sinum dictæ producunt causæ.

§. 7. Pariter in mundum etiam hunc visibilem vapo-
res tum sulphurei, tum salini, ac diversi generis ac naturæ ele-
vati, perpetim exhalant atq; per totam diffunduntur aëris
regionem, qui intra atmosphæræ terminos, nubium, vento-
rum, aliorumq; in terræ superficie aut in sublimi apparentium,
diversimodam velut scenographiam inducunt; nam uti loqui-
tur *Querc. in Tetr. cap. affect.* exhalationes hæ externo Solis &
interno Terræ calore reuscitata, materiam præbent, tam di-
versis ac stupendis Meteoris, partim in aërea regione partim
etiam in ipsis terræ visceribus. *vid. Petr. Gassendus in Phil. Epi-
cur, & Varen. in Geograph. general.*

SECTIO III.

Exhibens influxum in regnum vegetabile

§. I.

Percipisti igitur, quo modo Ignis subterraneus nescius
ociari, æstuum marinorum reciprocatione veluti follibus
quibusdam succensus æstuansq; , per alias aliasq; occultorum
meatum, metallicis mineralibusq; succis refertorum fibras,
dum

dum transit, ingentem secum halituum copiam vehat, qui elevati partim in propriis ædibus i. e. intimis terræ penetralibus, multiplicem mistorum Oeconomiam constituerent, partim per porosos Geocosmi meatus, & cribriformem etiam Oceani fundum, in extimam superficiem protrusi dilatatiq; flatibus suis aerem, terrestrem substantiam atq; maria exagitarent: jam etiam istud accipe, quod, sicuti Ignis subterraneus sese habet ad abditas subterrestris miscellæ cryptas, ita sese habeat Sol ad omnia Geocosmi corpora resolubilia: cujusmodi sunt primò quidem omnia humida, uti Mare, Flumina, Lacus, stagna, Fossæ, Fontes, Loca mineralibus spiritibus foeta: secundò Plantæ, Arborea, Fruticesq;: tertiò Seminalium Rationum Miscellæ: quartò Animalia omnis generis: ex his enim propter perpetuandas pericycloticas naturæ operationes, halitus quosdam, seu spiritus elici, atq; benefico ventorum vehiculo in universas Mundi Plagas delatos, nova fundare seminaria, *acute more consueto demonstrant, seculorum Ornamenta Prosper Alpinus de prasag. Nicolaus Cabeus in Meteor: Cartesius ibid. ut & Baco de Verulamio in hist. vent. & mort.*

§. 2. Sed de his obiter: Nam mutuam saltem causarum nostrarum naturæ obstetricantium, coadjutorium demonstrare lubitum fuit. Jam ad propositum tendamus scopum. Ex superioribus tibi constat, quod tanquam vivificus spiritus subterraneum Geocosmi corpus inspiret Ignis Subterraneus: idem conclude, quantum ad supraterraneam Mundi structuram, de Virtute Cælesti, cujus actiones diversæ à subterrestri promotæ Pyrodynastia, non tantum diversam constitutunt Sublunarium essentiam atq; existentiam, sed qualitates etiam largiuntur summoperè admirandas. *Vid. vener. senex Melch. Sebizius in disp. Galen. de simpl. Medic. Tolle hunc influxum, & vel juramento tibi affirmavero cum Ingeniosiss. Christ. Langio tr. de therm. Carol. omnes etiam cesaturas rerum generationes & corruptiones. Hinc mutata saltem virtutis influentis qualitate, mutatur etiam universa Naturæ Scena. Nam totâ hyeme Terra uterus velut ob-*
gnatus

gnatus atq; sterilis existit, quoniam particula spirituosæ, quæ cæteras actuare, & motuum naturalium velut choreas ducere solent, aut in subjectis suis à frigore hyberno congelati figuntur, aut omninò fugantur, & in æthereas emigrant auras, interim terrestres substantiæ fixæ particulae, velut torpidæ jacent atq; consopitæ, donec cum reduce verno Sole iterum resuscitantur in vitam, atq; de novo quasi animantur. *vid. Kerger. de fermenta:*

§. 3. Nam Vere cum à Solis vicinia parùm saltem inrepefcunt terræ viscera, statim mirâ imprægnantur fœcunditate, & *ἄνω ἄερας* suæ fructus produnt. Nec solum terræ superficies, quin etiam ipsa Aqua atq; Aër, spirituosus ubiq; turgescere incipiunt particulis, (*verba sunt Anaximenes apud Verulamium*) quæ emortua rerum semina resuscitant, ac in alterationis vindicant motum. Atq; hinc etiam, *ut loquitur Athan. Kircherus in Mund. Subterr.* Semina rerum, quæ terrena moles sibi concreata habet, hujus caloris ambientis virtute fœcundata animataque: in innumerabile emergunt fœtum. De vegetabilibus res sanè manifesta est, *vid. saltem acutissimus Thom. Willis de ferment.* Licet enim comproducta sint corpori terreno semina diversis plantarum speciebus producendis apta, ut tamen Panspermia hæc ex potentia in actum traducatur, virtute indiget ex alto, cujus influxibus conservata semina rerum, in germina, flores, folia, fructus &c. educerentur. Nam sine calore & luce i. e. sine influente Cæli activitate torpida omnia jacent & emortua. Quapropter Corpora Cælestia partim per manifestas (*uti in antecedentibus dictum*) partim per occultas debito modo operantia qualitates mixtorum vegetabilium compagem, non duntaxat laxant, ac spiritum intus conclusum, (*quò ad corporis sui vegetativi elaborationem sese accingere possit, atq; ad perennem specierum propagationem proportionatam excludat effectum.*) solvunt: Sed etiam absconditos planè consensus & dissensus, virtutes itidem admirandas, propter nutricis Terræ alterationem, imprimunt. *Vid. Job. Baptist. Porta lib. 1. Mag. Natur.* Hinc etenim, *ut Virgilius ait:*

Diver-

*Diversa arboribus patria, sola India nigrum
fert Ebenum, solis est Thurea virga Sabæis
Quid tibi oderato referam sudantia ligno?
Balsamaq; & Baccas semper florentis Acanthi?*

Quod igitur sub fervido Solis cursu Lybia odorata mittat aroma-
mata, quod Arabia Myrrham, Caseam & Cinnamomum,
Mons Libanus Cedrum, quod Creta Cupressum, & Dictamnium,
Athenæ Oleam, felicis Campaniæ colles vites, temulentia
nobiliss succo, per omnes terras inclytos, aliaq; denique sibi
propria ferant, (de quibus vid. Dioscorid. in Alexipharm & de
mater. Medic.) licet non alteri, quam loci aut naturali terræ
constitutioni ascribendum sit, has tamen varietates humo-
resq; in dictis regionibus & locis inclinatio Mundi, Virtutis
Cælestis & Ignis Subterranei impetus proprius causantur.

§. 4. Ad quos humores cum innatum quendam
appetitum habeant certa quædam vegetabilium seminia, ve-
luti bonum conservativum sui, ut iisdem nutriantur atq; a-
lantur, eosdem etiam attrahunt. Hinc Nymphæa Aquas
palustres, quarum suctu attractum vivit, nunquam deserit:
Hinc Aconitum & Napellus omnem venenosum succum per
terræ vicinas partes diffusum attrahunt, atq; in nutrimen-
tum suæ Naturæ consentaneum i. e. venenum convertunt.
Ita fungus si vel putrido panno aut Marcori vel etiam juxta
serpentis cavernam, vel deniq; arbori noxiæ increverit, o-
mnem illicò succum decoquit in venenum. Porro cum ma-
gna pars Terrarum Mineralibus succis Metallicisq; qualitati-
bus scateat, accidit ut plantæ quoque participant illius Me-
talli, super cujus venam creverint, qualitates. Ita experi-
mur Vinum Sulphureis in locis crescens, vid. Ampelogr. Am-
plif. Viri Dn. D. Sachs à Lewenheimb. Sulphureo vapore caput
replere: super mineras salis in salem resolvi: super terram
verò lapidificò succo scatentem (vid. Ingeniosus. Job. Baptist.
von Helmont. in Lithiasi) potatum, calculum generare. Ita
plantæ mineris seu venis auriferis insitæ, ex auri sublimati
vigore, aureo colore tinguntur, quemadmodum ad Danu-
bium

D

bium

biam multis in locis & in Hungaria frequentes hujusmodi vites reperiri à fide dignis Autoribus se accepisse tradit *vir Incomparabilis Athar. Kircherus in arte Magnet.* Pariratione in locis hydrargyro scatentibus, ex foliis plantarum eo loco provenientes sat copiosum elici argentum, vivum ipse vidit.

§. 5. Felix jam esto, qui rerum poterit cognoscere causas. Non hallucinaberis, uti hic, sic etiam alibi ad demonstratum Virtutis Cælestis & Terræ influxum saltem confuge. Nam ratio alia non est, nisi quod partim ab intrâ subterranei Ignis operatione, partim ab extrâ Cæli influxu, insensibiles ferè & subtiles Mineræ partes in exhalationem resolvantur Metallicam, (*vid. Casalpinus de Metall. lib. 1. Agricol. lib. 12.*) quæ radices ipsarum plantarum penetrans, extimas etiam petit partes, atq; subiectum corpus vegetabile variâ tingit qualitate. Perpetuæ enim veritatis effatum est: Hæc nostra principia cooperantia, non tantum diversam corporibus naturalibus largiri quantitatem, sed qualitatem etiam, ac qualitatibus diversam itidem vel intensiorem vel remissionem ratione substantiarum. Nam propter internas Soli Cæliq; proprietates, vegetabilia diversa sortiri temperamenta experientia notum est. Ideò etiam accidit, ut in iisdem una pristina virtutis pars aboleatur, una verò remaneat: longis verò distita locorum spaciis, uti omnino contrarium fortuntur Cælum atq; solum ita eadem quoq; degenerare necesse est, ut vix ullum remaneat vestigium prioris formæ, *cujus rei plurima experimenta ex Galeno & Theophrasto, annotata leges in Hypomnem. phys. ap. Dan. Sennertum Medicum sane & Pby- sicum immortalis Fame.*

§. 6. Ut uno epiphonemate omnia definiam: Talis, est vegetabilium Quantitas, Qualitas, Sapor, Odor, Color qualis est (quæ ubiq; præsupponitur) primò loci Natura & secundò qualis est gradus & activitas cooperantium dictarum causarum. Propter harum diversam inclinationem terrenum corpus alia atq; alia imprægnatur dispositione, hinc omnis varietas & differentia fructuum, arborum, lignorum, plantarum.

tarum&c. exurgit. Unde Myrtus in Ægypto odoris suavitate præstat, alias inodora arbor. Et sic de cæteris plantis & fructibus, qui in locis proportionatis optimam in disproportionatis pessimam præ se ferunt indolem. (*vid. passim Dn. D. Sebizius de aliment. facultat. ut & Schol. Salernit.*) Ideò etiam in Persia Pomum Persicum tam præsentis cum sit veneni, ut vescentes interimat, teste Fallopio & Illustri Rollincio, in Ægyptum & Europam translatum, mitigato Cælo esui jucundissimum evadit. Arum Cyrenis minimam præstat acrimoniam, ut in cibum rapis referatur: verum in quibusdam frigidioribus locis, adeo fervens & mordax est, ut mandentium os & fauces exurat. Brassica in Ægypto non estur propter summam amaritudinem, in Italia & præsertim Germania suavissimum olus. Capparis in Lybia mirum in modum acris est, in Apulia verò diurnus & diurnus cibus evadit. Hactenus enarrata vegetabilia, licet è suis peregrinata regionibus propter alienum Cæli tractum, & influxum, qualitates assumant alienas, attamen aliquo modo quasi cicurantur. Aliæ verò vel Cælo invidente vel solo repugnante tam contumaci s feriq; ingenii stirpes sunt, ut ne quàm plurimis quidem obsequiis peregrino asvescere queant Cæli tractui, sed tam horrorem amœnitate, quam cælestium influentiarum clementia speretis vel degenerent, vel omninò contabescant. Sic Cinnamomi plantam in Lusitania plantatam in Laurum, Piperis in Hederam, Caryophyllum in Castaneam, Triticum in Siliginem, postea in Avenam, tandem in lolium degenerare experientia innotuit. Alibi autem omninò recusat nasci Balsamum: non ferunt Nardi delicia, quo saltem ex India in Arabiam nave peregrinentur: rem enim tentasse Seleucum Regem perhibent. Et posito, quod ipsas exoraveris arbores, ut vivant atque transmigrent: posito etiam, quod à Solo aliquantis per impetraveris, ut alienas alat, advenasq; nutriat, Cælum tamen nullomodo flecti potest quo reverenter excipiat hospites, *pl. vid. Job. Baptist. Porta. in phytogn. celeberr. Fontanus part. 3. medic Hippocr. Dioscorides de Alexipharm. Agricola de animantibus subterraneis & Kircherus in art. Magnet.*

§. 7. Quemadmodum autem admirabilem in alendis vel educandis extraneis vegetabilibus diffusum fovent toties memorata laborantis Naturæ causæ, ita mirum est, quam magneticam (*sic ita loqui fas est*) vim diffundant in appropriatas sibi plantas: ut ideò etiam constanti motu vel Solem vel Lunam sequi videas, illa plantarum genera, quæ Græcis Heliotropia i. e. Solisequa, & Selenotropia i. e. Lunisequa dicuntur. Brevibus, quæcunq; volui dicta sunt. Intelliges exinde, quod non tantum Virtus Cæli & Ignis Subterranei in plurimas cogat alterationes terrenam molem, ut vegetabilia producat. sed diversas etiam iisdem infundat dotes atq; qualitates:

SECTIO IV.

Exhibens influxum in Regnum Sensitivum.

§. I.

Satis demonstraverò causas nostras laboranti Sensitivæ Naturæ obstetricari, si demonstraverò, exinde Animalium generationem, corruptionem, vitam & mortem, quantitates & qualitates dependere. Intelligis autem, quomodo propter rerum corruptionem, Elementaris hic Mundus corpusculis refertus sit putridis, ut ideò Insecta quædam Animalia, quæ venenosam in iisdem latentem putredinem in se velut in vivas quasdam bursas attraherent, necessario dari oporteat; ne virulenta putredinis contagione, sensim atq; sensim vires assumente, cum extrema omnium viventium pernicie, Geocosmum inficiat. *Vid. Sennertus de febr. & Sarac. de peste.* Hinc intrâ terram innumeros vermes, lumbricos, mures; extrâ verò Serpentes omnis generis, Ranas, Bufones, similiaq; venenifera animalia; in Aqueo verò Elemento itidem virulentæ qualitatis Animalia, ut Lepores marinos, Loligines, Pulmones marinos, & c. Natura constituit, quæ aqueum Elementum à superfluo liberarent toxico. In Aëre verò, uti ea virulentæ putredinis exhalatione, semper venenosum quid nidulatur: ita quoq; ibidem Insecta, quæ derivato in se hujusmodi pestifero halitu, aërem etiam quodammodo

modo purgarent: cujusmodi sunt Scarabæi, Muscæ, Vespa,
Aranei, & c.

§. 2. Quemadmodum autem Terra atq; Mare statis tempo-
ribus, à fermento hoc Cælesti & Terrestri, i. e. Virtute Cœli
& Ignis Subterranei, concitata, sponte & vi sua sine sparsio
etiam hominum opera femine, stirpes herbasq; procreant:
sic etiam innumerabilia eodem modo producant hujusmodi
Insecta, tam volatilia, quàm reptilia alia. *Vid. vir. summus*
Ulysses Aldrovandus lib. de insectis. Nullus autem putet, inse-
cta hæc cooperante Cœli aëritate sponte nascentia ex terre-
na aut aquea substantia, aut ex putredine Sola originem suam
fortiri: sed putredini hujusmodi terrestri aut aqueæ, conjun-
gi debet semen sensitivum, quacumq; tandem de causa Terræ,
Aquis, eorum putredini junctum, pro sui generis gradusq;
conditione, Animal producet. *vid. vir. eminentis. ingenis*
Fortunius LICETUS de spontaneo viventium ortu. Nosti igi-
tur, quam facile panspermatice Putredo, ambiente Cœli
virtute digesta, in animalculi generationem disponantur.
Et quidni ita? Ranas enim, Rubetas, & omnis generis ver-
mes, tam in Hominum quàm Brutorum intestinis ac aliis
corporis humani membris nasci propter reclusum à calore
externo seminum, historiarum multiplici relatione docent.
Vid. Summus Vir. Mar. Aur. Severinus de abscond. recess. natura.
Hollerius de morb. intern. Sennertus in instit. Medic. & Pract.
Medic.

§. 3. Cur quæso non idem Virtus & Calor Cæli in ap-
propriata efficeret materia? ait *Baco de de Verulamio lib. 2.*
nov. Organ. Instar omnium esto quod & oculus & ratio do-
cent, Solis æstu fermentatum Equorum, Boum, & Asinorum
fimum propter restans adhuc in illis excrementis seminum,
Vespas excludi, Scarabæos, Cimices Sylvestres, Vermes quo-
que seu Erucas multis pedibus instructas. Quod de his dici-
tur, de cæteris etiam subsume. Serpentes hoc modo gene-
rari posse, *eleganter docet Dn. D. Sebizi in casu adolescentis.*
Nam licet ex propria fiant genitura, quid obstat, quo minus
etiam ex humoribus spermatica putredine infectis, coope-

D 3

rante

rante Cælo orientur? Testatur Diodorus Siculus ap. Gaspar. Schottum in Physica Curiosa. Cum Nili crescit inundatio in Ægypto, calefaciente Sole humum ab Aqva madefactam, variis in locis juxta Thebaidem ex terræ hiatibus oriri murium multitudinem, magno hominum stupore, cum videant anteriorem usq; pectus & priores pedes partem, animatam moveri, posteriori nondum inchoata sed informi. Idem asserit Plinius lib. 9. histor. natur. dicens: Verum omnibus. his fidem Nili inundatio affert omnia excedentem miracula, quippe deturgente eo muscoli reperiuntur, inchoato opere genitalis Aqvæ Terræq; , jam parte corporis viventes novissima effigie etiamnum terrena. Nec ex Nili solum aqva, sed ex pluvia quoq; ibidem nasci testatur Ælianus lib. 6. histor. natural.

§. 4. Cui non constat, amplissimum Asiæ regnum, quotannis ex multitudine Aluminum, Indi præsertim & Gargis, ingentes experiri inundationes? quæ in latibula serpentum effusæ, innumerabilem quoq; hujusmodi serpentum copiam secum evolvunt, qui tandem aquarum multitudine suffocati, atq; intra fossas relictæ perniciose putredine, regionem subinde non sine strage hominum inficiunt ex quibus deinde velut ex fermentata massa, Seminum conficitur virulenta confertum putredine, atq; ex hac calore Solis fermentata putredine, tandem ingens Scorpionum, Bufonum, Formicarum, atq; Serpentum pullulago emanat. Addunt aliqui etiam virulentissimum illum omnium serpentem, & mirificum venenorum magnetem, quem ob cuticulam in capite prominentem, pileatum vocant: Hunc ajunt, sicuti ex differentium Serpentum Insectorumq; venenorum seminis, virtute Cæli in actum deductis, originem suam trahit, ita quoq; de omnibus dictorum animalium venenis dum participat, mirum videri non debet, hunc omnibus venenorum generibus attrahendis aptum esse. Judicium penes sapientem esto.

§ 5. Quod reliqua sensitivorum genera attinet, quæ ex femine nascuntur, qualiacunq; tandem sint, brevibus me expediam. Dico igitur, licet eorum generatio tam intimæ obstetricationi cœlesti non sit connexa, eandem tamen necessario præsupponit. (*Vid. Harvejus in exercit. de generat. vivipar.*) Nā semen

ex

ex alimentis, alimenta verò omnia ex activo Cœli atq; Ignis Subterranei responso, qui naturæ Oeconomi universa Sublunaria, Elementa etiam ipsa & imprimis Aquam, ideò ad diversimodas disponunt mutationes. Vides enim, quomodo crassum illud Aquæ corpus à Cœlesti Igne sensibiliter, in altum attractum, in latè diffusum mutetur vaporem: parte in ventos abeunte, parte in pluvias ad terram irrigandam destinatâ, parte deniq; fervore Solis à terrâ elevatâ, frigorisq; nocturni vehementia iterum condensatâ, mox in rorem dissolvatur, quo saltem sitiens inebrietur terra. Atq; hinc est una alimonia omnium è terra nascentium, omniumq; viventium corporum: hinc eadem mineralia vegetativa, & sensitiva omnia uti crescunt, vivunt, & conservantur ita propterea etiam propagantur atq; generantur.

§. 6. Igitur exinde patescit, quod non generationem tantum omnium sensitivorum, infallibiliter hæc dictarum causarum promoveat cooperatio, sed generatorum etiam diversam constituere quantitatem, facile cognosces: nam juxta naturam & proprietatem aquarum, fluminum mariumq; (*quæ proprietas licet à DEO concreata, à nostris tamen conservatur causis*) varia natatilium genera variæ itidem quantitatis producuntur, & sicuti non omnia maria eadem animalia eosdem pisces progenerant: sed pro aquæ regionis temperamento diversos, ita pari analogia non in omni telluris parte eadem terrestrium animalium productio. Hinc indicat tellus Elephantum, Rhincerotum, aliorumq; nobis incognitorum animalium subjectū est. Asiatica tellus Camelos, Leones, Tigrides, Africa strutiones, Dracones, simias: America omnia à reliquis differentia, exhibent. Europa Equos, Asinos, Boves, &c. temperamento suo consentanea ostentat animalia.

§. 7. Hinc patet, cur Indica, Asiatica, Africana, & Americæ animalia, adeò ægrè Europæo asvescant Cœlo, & contra Europæa reliquis orbis partibus. Quemadmodum enim non omnis fert omnia tellus, ita quoq; sub Zona torrida cæterisq; Indiarum atq; Americæ regionibus: diversa prodeunt animalia nostratia illinc delata ferè speciem mutant: (*Vid. Rob. Boyle de colorib. Herm. Conringius de habitu Germano. it. Cornelius Tacitus de Germania*) oves gibbosam corporis formâ acquirunt, cæterasq; metamorphoses quæ ferè illinc ad nos deferuntur, pleraq; climatis insolentia diu vivere non possunt, nonnulla mox ubi Tropicū Cancrī subierint, veluti offensa moriuntur, quia peregrino Cœlo & Naturæ eorum minime consentaneo utuntur. Nam patrium Solum ex quo suam
tra-

rahunt originem ipsa. Solum bene efficit, nutritur utrumque; naturæ eorum conveniens præbet, à quo si divellantur, mox veluti à patrio Solo aliena; dum impropportionatam peregrinamque Cœli, aëris, terræque plagam sustinere nequeunt, mox deficiunt, vel si subinde durent, ita tamen à nativo desciscunt temperamento, ut prorsus aliam formam indolemque induant.

§. 8. Hinc ex Geographorū relationibus, magnum illud Asiæ spatium, quod Indostam vulgo vocant, totum ferè Mogoris regnum, unacum vicinis regionibus Guzarata, & Diensis territorii districtu occupat, ex insita terrestris glebæ proprietate, uti Zonæ Torridæ magna ex parte subditum, & ingentibus Solis ardoribus expositum est, ita quoque ingentem virulentissimorum Serpentum, aliorumque Insectorum toxico prægnantium copiam præbet. Vid. Mar. Au. Severinas viri reconditæ Eruditionis de viperarum Natura Gesnerus ait lib. 5. histor. etiam propter locum mutantur Serpentes, qui habitant loca inæqvosa & montes deteriores sunt eis qui habitant littora & loca plurius aquarum. Quin etiam, ut *Matthiæus lib. 6. comment. in Dioscoridem* testatur: Feræ omnes & insecta in montibus & aridis locis, inter vepres & saxa degentia citius hominem perdunt, iis quæ palustres, uliginososque tractus incolunt. Citius præterea necant, quæ orientalem & meridionalem inhabitant plagam, quam quæ septentrionalem.

§. 9. De similibus idem esto iudicium. Quod enim de Serpentibus dictum, de aliis idem subsume animalibus. Qualis causarum nostrarum obstetricantium virtus fuerit, talis etiam omnium sensitivorum erit habitudo. Exinde quæ nostra Europa tanquam letifera repudiat, illa reliquæ regiones Cœli clementiâ mitigatâ, tanquam salutifera acceptant. Scio (*Athan. Kircherus in China illust. ait*) etiam Catos volantes, uti vocant, i. e. vespertilioes, in Indiæ solitudinibus eleganti climatis benignitate dotatis indigenas ad singulares cibi delicias venari. Discas igitur ex variis Cœli habitibus non tantum brutorum conjectare contemperaciones, sed ipsorum etiam hominum inclinationes. Vid. *Abdias Trebb. in Astrol. Medic. Bene enim Hippocrates lib. de Aëre Aqua, & locis ad regionis habitum qualitatemque hominum mores responsum habere demonstrat.* Hinc septentrionales populos feraces esse ajunt, & agrestis trunculentæ: Italos Græcosque præstantes, benignos animis & corporibus temperatos, nobiliumque rerum percupidos: Arabes furaces subdoli; ingenii acerviles: Armenos mobiles: Afros libidinosos: Scythos crudeles: Siculos acutos atque iactabundos Hispanos: Ægyptios sapientes atque prudentes Babylonios. Nec Vitruvius hinc abhorret, ita enim ait: Qui rigentia mundi loca inhabitant candentibus sunt corporum extimis, Sangvine multo ex humoris plenitate, Cœlique refrigerationibus sunt conformati. At qui exustas à Sole Mundi plagas incolunt, brevioribus sunt corporibus & Sangvine exiguo, propter Solaris ardoris vehementiam, itaque etiam propter sanguinis exiguitatem timidiores sunt ferro resistere. Meridianæ nationes ex acuto fervore mentis expeditius celeriusque moventur ad consiliorum agitationes. Ad Arctum versi ex infusa Cœli crassitudine ac ob aëris obstantiam refrigerati, stupidis ferè nascuntur mentibus.

§. 10. Sic quomodo per cooperationem nostrarum causarum obstetricantium progenerentur, quomodo itidem persistantur sensitiva accepisti, brevibus jam accipe, quomodo etiam illarum inclementiâ destruantur. Cogita autem, quam ingens letiferorum proventus, obstetricante Cœli & Ignis subterranei influxu exterius ab omni plagâ è quovis terra, aqua, & aëris tractu abundè eleventur: quomodo è distinctis mineralium, vegetabilium & animalium familiis quotidie emergant quæ aestruendo sensitivorum calidum innatum corporis interitum causentur, atque res tibi facile innotescet. Ne medicum agere videar, abi ad eosdem, & imprimis disp. 5. de calido innato ingeniosissimi (iudicio Bartholini) Viri & merito suo celeberrimi Eccardi Leichneri it. iddelii atque Fernellii Physiologica. Completum est quod dixi.

ns
m
fi
r-

m
di-
da
n-
bi-
ra
n-
in
n-
pa
ri-

liis
it,
le-
ce-
e.
nas
ru-
rid.
nis
tri-
tes,
u-
ru-
tes
haa
Co-
nt,
em,
ana
rum
fri-

tur,
mcle-
Ignis
ben-
qba
nno-
nio.
t.

05 A 1404

ULB Halle 3
003 781 917



5b

1077





ne
to
qu
ier
ixi
as
bi
cit
nte
oc
aq
1
eta
ibu
a n
lus
ntu
od.
aro
er 2
spe
æ c
ent
fer
n e
ort
erv
are
is p
qua
roy



EXERCITATIO ACADEMICA
POSTERIOR,
De
Causis laboranti
Naturæ obstetricantibus:
Virtute sc. Cæli & Ignis sub-
terranei;
Quam
Divina favente Gratiâ,
Sub PRÆSIDIO
VIRI
CLARISSIMI
M. ADAMI PURPII, Marchic.
Med. Stud.
Publicæ eruditorum disquisitioni
In Illustri Leucorea
sistet
Defensurus
JOHNNES CHRITOPHORUS Adlung /
Erfurtinus.
Die 20. Martii, horis matutinis,
In Auditorio Veteri.

WITTEBERGÆ,
Literis Michaelis Wende.
Anno 1669.

